



4 V 821^a

Zindler, Joh.

535958

MICHEAS PROPHETA,
CARMINE HEROICO
VERSVS:

DATVS, DICATVS,

Magnifico, Clarissimis & Excellentiss. viris,

Dn. DANIELI SEN-
NERTO, MEDICINÆ DO-
ctori, atque Illustris Leucoræ
pro-tempore Prorectori:

Et

DN. VALENTINO
GVILIELMO, VALENT. F. FOR-
STERO, I.V.D. Colleg Jurid Adiuncto, &
Iudicii Provincialis, quod V Viteber-
ga est, *Abolito:*

Fautoribus suis atatem observandis:

IOHANNE ZINDLERO.

WITEBERGAE
Excudebat Iohan. Schmidt,
ANNO M. DC. VI.

Virtutibus & Eruditione Praestantiss.

FAVTORES COLENDI,

Micheam vobis meum dono, è
situ scriniorum, in quibus aliquandiu latuit, pro-
tractum. Meum dico, qui nova à me formâ sistatur. Dono
autem, vos si spectem, lubens; si me, propemodum inuitus.
Vos enim jampridem bene merendo effeciistis, ut omnia vo-
bis meque ipsum debeam. Me autem, ut multa sint in hoc
munere, quæ reprehensionem incurrant, necesse est vereri.
Licentiam alij accusabunt, alij dictionis genus nonnun-
quam satis crudum, alij seriem rerum parum sapiculè con-
nexam. Sed præter difficultatem, sacra cumprimis verten-
di, nihil obtendo. Et pietatem, quâ erga Deum, quâ erga
vos, si testatam facio, satis sum assecutus. Hanc vos.
quæso, spectate, conatibusque meis favete.

Deus vos diu bono publico
seruet.



535958

MICHEAS PROPHETA.
CAPVT I.



*H*æc sunt, quæ Solyinis super Amraaq̄, locutus
Urbe super Dominus Michcâ interprete, magnum
Quem vatem exigua tulerant obscura Moresæ
Mænia, quò Vsiades pius, & quò tempore Ahasus
Degener, ac suboles patri inficianda, nepotum
Hiskias recti seruans regnavit Iuda.

- 2 *Audite o, montesq̄, feros camposq̄, feraceis
Quicunq̄, & sanctis damnatas legibus urbes
Incolitis, tuq̄, alma parens adverte vacivas
Terra mihi auriculas, terram & quod subter & extra est.
Nam Dominus, cæli, Dominus, qui temperat orbes
Hic ad vos (tanto quis & abnutasse favorem
Ausit hero?) sanctis de sedibus ora resolvet.*
- 3 *Mira cano: jussum leviter fastigia celum.
Clinabit, nostrumq̄, Iovam demitet in orbem.*
- 4 *Ardua terrarum pedibus premet ille, liquefcent
Subiecti montes, & vallis rupta fatiscet,
Cera velut rapido mollitur ab igne, volutas
Cernimus & pronis descendere montibus undas.*
- 5 *Postulat Isacios manifesti Iova nepotes
Criminis, & meritas exposcunt Numina pœnas.
Isacida, pessum vos dant incendia dira
Samaritas, luci Solymes araq̄, Iehudam.*
- 6 *Iccircò à rotis penitus mihi fundamentis
Barbaricus perget Samaritica mænia miles*

Direptum: saxis & saxa avulsa nepotes,
Hisq; olim vineta jugis uvasq; videbunt.

Tunc aliquis tanta vestigia parva ruina
Dispersos passim lapides in valle reducta
Miratus, magnum premet alto corde dolorem.

7 Non vel quos auro coxit pallente caminus,
Vel cedrus longaeva Deos dedit, amplius ex spes
Terra colet flammis domitos ferroq; minaci:
Quicquid donorum est, argentiq; atq; lapillorum,
Eous quotquot legit vagus institor undis,
Idolisq; sui monumentum & pignus amoris
Ferre dedit, savus prae dabitur ignis: ut olim,
Quos meretrix proprio fecit male corpore quaestus,
In cineres abuisse vides fluctusq; marinos.

8 Me miserum! penitis hoc subijcit ossibus ignem,
Et prorsum exesas urit plus plusq; medullas.
Hoc est, quod surdis nequicquam conqueror auris,
Remittuntq; meas sylvae & loca sola querelas.
Nec mihi sat lacera defendunt frigora palla,
Nec soleas pedibus sumo, sed nudus acuto
Aequore per duros silices incedo, Draconum
More modoq; gemens, quos aut sitis improba torret,
Aut victor tardus elephas ad sulcibus urgens
Ad terram vasto dedit impete: lugeo, solis
Struthio uti quondam lugeat desertus arenis.

9 Nam neq; consilio quisquam locus, omnia latè
Plena mali, effusis quod debacchatur habenis:
Nec Iudae horriferos suboles miseranda labores
Nesciet, externo stipatas milite portas
Cum Solymes seseq; peri externata videbit.

10 Ah, vestri mudo ne qua mali fors nuncia risum
Vicina pariet Catho: singultibus atris

Parcite

Parcite, neu nimio crucient se pectora questu.
Sit satis occultos thalamis effundere fletus
Umbrarumq; sequi secreta silentia. Faedo
Pulvere, o Aphra, tuos luge conspersa capillos:
Aphra, manet scij pars te quoq; magna pericli.

11 Vrbs verò, urbs antiqui tumefacta Semeri,
Qua nunc magnificos ostentas prodiga luxus,
Tempus adest, patrios probri cum plena penates
Excedens alio terram sub Sole jacentem
Adspicies invita: hosti cum fabula fies.
Tunc Zaëna malo propiore exterrita, portas
Claudet, & in mediis parvitat mœnibus, at cum
Assyrij trepidam cingent hostilibus armis,
Armorum elusos ridebit inulta furores.

12 Interea accitos miserè sperabit amicos
Marothum; in celere sed spes ea didita ventos
Frustra erit: Hac Domini mens est, & certa voluntas:
Ipsa quoq; hi Solymes attingent mœnia luctus.

13 O qua nobilium nutrix es, Iachis, equorum,
Tantis, si qua fuga ratio, te bellica equum vis
Motibus eripiat. Solyme ni prima mitorum.
Causa fores, non se peregrinis impia sacris
Polluerat: patrios ausa es tu prodere ritus
Prima, Israeligenum exemplis incensa nepotum

14 Assuris id frustra tumidis placasse Tyranni
Discipies animos: Namq; increpitabit amarum
Ille tibi, patrio direptam pectore prolem
Ille etiam se vos coget tolerare magistros.

15 Samarico fluxas tunc spes in rege locabit
Achibe venietq; tibi, Moresa, molestis
Et moris quem mœra meres benè moribus, haeres.

As

Tunc

Tunc urbes, Parijs & mania fulta columnis
Splendorem ingenti amittent collapsa ruina,
Odolla ignotis vix equiparanda cavernis.

16 *Pone comam, Isacidum domus, & tua pignora lessu*
Prosequere, attonsis aquilas imitata capillis:
Nam tua ventura nati. spes una senecta
Servitum externas deportabuntur in oras.

CAPVT II.

1 *A*h pereant, tacito fraudes componere lecto
Quos iuvat, & picta qui amant rectoria lingua;
Qui prima cum luce malis sese artibus ultero
Dant, licitum siquidem ducunt, quodcumq; lubescit.

2 *Exturbant inopes patris sedibus, & cum*
Fortè libet, veteres alio migrare colonos,
Excultiq; iubent relinquere jugera campi.
Quod placitum est, manibus viscat is protinus abdunt:
Nil & habent sacri quicquam, nil atq; profani;

3 *Omne trahunt, raptant, permiscunt omne. Sed illis*
Hac responsa dedit mihi ferre Ichova: Maligni
Quas alijs nectunt fraudes, his scilicet ipsos
Impediam; nec Iovaeos dissolvere nexus,
Amplius aut celsa poterunt cervice vagari,
Terram demisso fixuri lumine. Tantis
Tempora desubito venient vallata periculis!

4 *Nania tunc terras passim vos nota per omnes*
Differet hac: Fuimus Solyimi: sed scilicet actum est
De nobis; nostrosq; tenet Dux advena fines.
En erit amissos unquam redipiscier agros,
Vtq; iterum caris liceat vestigia campis

5 *Ponere? Hoc Abramida secum. Sed nulla relicta est*
Aut spes hic vobis aut portio. Sava tot in nos

Quid

Quid tandem anguineâ vibratis spicula lingua?
Tangimur his nihilo minus; hac quid vestra moerentur
7 *Nos monita? Incepto desistite. Num quid in iras*
Sic ruat, ut suctum Iova ponere possit amorem?
Vt templi placitos tantum subvertat honores?
Lenior est multo, quàm tantum ut prodigius irarum
Ardeat. Stolidas isthac sententia mentes
8 *Lactat Abramigenium. Sed Iova, ego blandus amicos,*
Inquit, amo: vos in mediâ exercetis amara,
Hostilesq; animos geritis: nãq; exitus ingens
Edocuit. Quotiens ausi confundere bello
Pacem, ubi placatis riderent ocia terris,
Vestem etiam insonti quoq; detexistis amico?
9 *Tum quidua quotiens bona sunt dirapta? Tenelli*
Et mater quotiens nati ploravit ademptas
Spes, & charorum solatia sera nepotum.
10 *Maturate fugam: vastum maris aquor arandum est*
Iam dehinc, & vestris debetur adorea factis
Exilium. Stupidi quod adoras Numina trunci,
Plebes Isacidum, gravibus disjecta ruinis
11 *Hac propter planges terram. Si vendere fumos,*
Si lepidis consuta dolis mendacia possem,
Sive ego delicias facerem, convivium plenis
Quando agitant mensis, luxu & carpuntur inani,
Moribus his hominum certatim puncta mererer.
12 *Vos tamen, Isacida dium genus atq; relictam*
Excubo subolem: sparsas compellit in unum
Sicut pastor oves, stabulis & claudit opertis:
Vos cogam: inq; dies auctum populosius agmen
Crebescet, blando fremebundum murmure, dulces
Concilians veluti somnos levis unda susurrat;
Aut ut apum sudo ludunt examina celo.]

Dux

13 Dux inter primos prestanti corpore, Diō
Omnesq; humanos prastinguens fulgure sensus,
Se dabit in clara cernendum luce, nigrantem
Cocytig; domum perrumpet: Turba sequetur
Sancta comes, portā victrixq; intrabit ahena.

CAPVT III.

- 1 Et dixi: Rerum penes, o, quos summa potestas,
Qui Iacobigenū genus alto à sanguine regum,
Quosq; Israelis avi super inclinata recumbit
Prisca domus: sancta leges & jura Themistos
Vos aequum fuerat penitus ac nosse recessus:
- 2 Hanc vos, hei! miseram vi protelatis iniquā,
Anfractus scelerum curvos fraudesq; secuti.
Detrahitis populo corium: iocus atq; voluptas
Vnica in exsuccos savire ferociter artus,
Humanaq; feram distendere cade saginam.
- 3 Ipsa minutatim conciditis ossa, velut quas
Desecat, & calido partes popa versat aheno.
- 4 Ergo, ubi flebilibus fervebunt cuncta querelis,
Et Dominum trepido vobis flexisse precatu
Cordi erit, hic vestris duram implatabilis aurem
Avertet lacrimis, vultusq; negabit amicos;
Vt fas est, aetq; merent ausa impia vita.
- 5 Veriloquo hac Dominus falsos contra ore Prophetas
Edicit, placitis populum qui vocibus implent
Abducuntq; meis miserum complexibus: Auream
Et pacem & bona cuncta vorvent, cum munera passim
Missis sibi cupidis datur excepisse lacertis,
Cum cista cellaq; tument: at si mala pressat
Pauperies, chari nec mittunt dona Patroni,
Bella crepant, dicuntq; meo mala multa popello.

Vestra

6. Vestra igitur sicut noctis visa instar opaca,
Responsa & caecis involvam vestra tenebris:
Falso etiam, ut vobis ne luceat atherius Sol,
7. Nilq; vel in mediā cernatis luce: beabit
Vates opprobri tunc messis opima, videbunt
Vocibus ut cunctos in sese illudere amaris,
Nec vultus quenuquam audebunt attollere contra,
Quod spretō Domini terra astrorumq; potentis
Sermone, insani mendacia vana cerebri
8. Ad populi arguant aures. Sed calite plenus
Flamine ego, Supera plenus virtutis, & idem
Iudicio atque animi plenus sum robore, lapsus
Nemini ut impediatur timor exprobrasse pudendos,
Aut mandet fœdi tenebris texisse silenti,
Israël atrō quicquid carbone notari
9. Admisit dignum. Quin hoc audite, Iacobo
Magnates genitore sati, quos principe clarat
Fama Israeligenū gens, his male tuta magistris;
Qui Ius ex alto despernitis omne; feroces
10. Et rectum audaci nutu pervertitis; arcem
Queis Sioneam miserorum sanguine partis
Ædificare bonis certum est; qui fœnore iniquo
11. Extruitis Solymen: Regina pecunia iustam
Rem facit iniustam, temerè imperitantibus illis,
Qui litem donis addicunt, inq; nocentes
Condemnant: merces, at non ignobile verum
Sacrorum cupidis res est accepta ministris,
Atque iuvat parvo prostantes are Prophetas
Dicere grata viris; ipso vel Numine freti
Cum nil grandiloquā metuant hac prodere lingua:
An non in medio nostri IOVA? Non malus unquam.
12. Ingruet hoc nobis timor auspice. Somnia falsis

B

Finge-

Fingere at hac quoniam deliri mentibus audent;
Propterea incurvis olim vertetur aratris
Alta Sion, lapidum aggestosq; videbis acervos
Hic, ubi nunc Solyme caput inter nubila condit,
Et silvas lato foliorum germine, templum
Aemula ubi niveofert nunc fastigia celo.

CAPVT IV.

- 1 *Vltima sed terris venient cum sacula, rupes,
Impositam Domini supra qua sustinet adem,
Firma erit; & cunctis rerum inconcussa periclis
Mole sua reliquos vincet ter-maxima colles,
Montibus atq; sua luce obstruet omnibus. Omni*
- 2 *Certatim ex populo tunc confluet ipse virum flos,
Ante & cui stipes Deus, aut è marmore puro
Idolum fuerat, passu huc pernice volabit,
Atq; alios verbis expergere tendet amicis:
Eia, alacres rapiamus iter; mora segnis abesto;
Scandamus Domini montem, sanctaedis honores
Visuri, proprio quam lumine Numen amicum
Iacobi atq; suis dignatur amoribus, ut nos
Edoceat recti callem, monitiq; sequamur,
Qua Deus ipse viam signarit pravius. Hac est
Illa Sion, leges dias & verba Iehova*
- 3 *Cui populi referent omnes accepta. Superbis
Gentibus hic dicet jus arbiter, atq; remotos
Iova potens aqua populos ditione tenebit.
Tunc rigidus blando mutabitur ensis aratro;
In falces passim conflare Martia pila
Incipient: non hostis erit non ulla rotabit
Fulmineos enses gens amplius; omnia pacem
Regna colent, puris & iungens foedera dextris.*

Tunc

- 4 *Tunc sub vite sua temere frug, licebit
Cessanti longis gemitu sine condere soles
Agricola, & blandus haurire licet eius auras.
Hec nam veridico, qui pacem & bella gubernas,
5 Ore Deus loquitur. Caca sua numina gentes
In cassum foedis maetabunt undiq; sacris;
Numen at aeternum nos aeterniq; lubentes
Numinis aeternum castas venerabimur aras.*
- 6 *Tunc Ego, (sic Dominus fatur,) conducere in unum
Instituam claudos hominis, & rerum omnium egenos,
Quiq; diu ingenti pressi gemuere malorum
7 Pondere; multifido latifcent stemmate claudis
Atea & irati quos irritata Iehova
Ira solum impresso fecit contingere mento,
Ut praedae cupidus essent perduellibus, auctu
Di vite pensabunt generis decora ampla vetusti:
Imperioq; illos Dominus moderabitur aquo
Saxa Sionae rupis super, annua Titan
Dum spacia alipedum percurreret in aethere equum vi.*
- 8 *Turris Eder, magnae vires columenq; Sionis,
Sceptri etiam tibi ademptus honos & prisca redibit
Gloria, cum Solymos innox regna in avita reducam.*
- 9 *Turgidulos lacrimis eccur adstligis ocellos?
Nudave cur plangis manibus male pectora? Numquid
Rege cares? fido numquid spoliata virorum
Consilio? penitas quod tanto angore medullas
Conficiat, quantum, qua partu fessa laborat,
Femina vix patitur, Divum & prece numina poscit.*
- 10 *Hoc animus tolera, fides, & pectore firmo,
Nata Sionis, amor meus & mea sula voluptas;
Atq; cie gemitus, quantos vix pectore ab imo
Femina dat, partu qua lento fessa laborat.*

B 2

Namq;

Namque ferus Solymes te manibus exuet hostis;
Assyriumque domos Babylonis & atria sacro
Adveniens à Sole procul, peregrina nitenti
Hostis ad arbitrium proscindes aquora ferrâ.

At verò optatâ post libertate fruereis
Protinus, & charos remeabis lata penates,
Eluso celebreis hoste indeptura triumphos.

11. Nam fœdus pactæ gentes populiq; profanum
Bella ferent, cœci miscentes cuncta tumultu,
Et dicent: Domino gens est exosa, ruamus
Inferrum, & miserâ fas sit satiare Sionis

12. Sorte animum. Stolidi, nescitis sensa I-hovæ,
Et quæ in supremo Divum consulta senatu;
Quos Dominus spaciis ideò conclusit in arctis,
Vi fruges tanquam, mediò quas exierit astu
Area, Iacobidum gens olim adsiecta, vicissim

13. Attritos omni denudet robore. Matris
Nata Sionæ, subito exporrecta, minaces
Disicias populos; durò nam cornua ferrò,
Ac unguis faciam solidos ex ære rigenti;
Totaq; confringes inimica robora gentis.

Tunc, præda quicquid usquam mihi ab hoste fugato
Accedet, sanctò voti rea limine ponam,
Terrarum, Domino, qui temperat orbis habenas.

CAPVT V.

1. Nunc tamen armorum Solyme haud ignara, duello
Aptare; hostiles circum namque agmina turmas
Obiicient, rapidò multum quassantia, muros
Ariete, & Isacida regis sub verberè torto

2. Squallebunt vultus. Bethlehem sedò, Ephrata quondam
Dicta viris, reliquos inter contempta ducatus

Iehudæ

Iehudæ vix nomen habes; tamen, esse virox
Vt reliquos præ te dicant, clarescere partu
Messia incipies, populos qui legibus aquis
Temperet Isacidum; nullò cui sacra dederunt
Principium, nullòque manet quem terminus avò.

3. Interea usque modis vos exercebit iniquis
Hostica gens, vestros nil commiserata labores,
Alma salutare dum partu femina natum
Ediderit, lapsò succurrere provida mundo
Quem Domini voluit non immutanda voluntas.

Tunc Abrahamigenum sociis se cœtibus addens
Reliquia, fratrum titulo quas ille suorum
4. Participat; placidò quas inter lumine ridens
Consistet; superò Iovæ quas robore fultus
Ducet odoriferi pastum per mitia campi
Pabula; nec se vram tremefactus permetuet vim,
Conscia latifica gestans sibi pectora prima.

Illa autem vitis alto de corde revulsis
Insistent vitæ callem melioris: in orbem
Nam quæ subiectum radios iacit auricomus Sol,
Ihovæ populis decor & benefacta patescunt,

5. Ipsa humiles etiam pax incolet aurea terras,
Nec, qui vastificò nos milite terruit, arces
Æquavitq; solo nostras, atque alta domorum
Culmina, posterius Marre adfluctabit acerbò

6. Assyrius: missi manifesto à Numine quondam
Quippe duces prisco deductas Assure genteis
Vastabunt, debentq; neci Babylonis alumnos.

Tunc nos pacatis celebrabimus ocia terris
Securi Assyriis ex hostibus ante-malorum,
Qui nostros ferrò fines flammâq; sequaci
7. Prodiderant. At quos belli hoc discrimine duram

Sortem Israeligenum superare Iehova ferendo
 Indulsi, gentes inter, ceu roscidus humor
 Noctis erunt; Domini steriles qui prodigus agros
 Munere prosubigit, guttisq; fluentibus herbas
 8 Irrigat, humana nequicquam opis indigus. immo
 Isacida tantis reliqui de caetibus omnia
 Hac illac populis terror per compita viscosq;
 Errabunt, ut qui nemoris Leo dorsa profundi
 Possidet, & multa consternit caede ferarum;
 Aut quem Massila genitricis ab ubere missum
 Formidat catulumq; pecus, pecorisq; magistri;
 Nec prohibere potest quisquam, dum naribus atris
 Abscedat rabies, armenta q; caesa relinquat.
 9 Nam Dominus fractis, qui Marria bella serebant,
 Hostibus, exciso de marmore signa locabit,
 10 Colla q; victrici pede proteret impia. Equorum
 Tunc (ait armipotens) robur belliq; quadrigas
 11 Conficiam: in cineres confident oppida, celo
 Eductaq; arces, rapidi ceu fulminis ictu
 Attonita, vasto contingent impete terras.
 12 Nec patiar superare, suis qui corda venenis
 Fascinet, & vano praestinguat fulgure sensus,
 Aut voces avium qui curet, sive futuri
 13 Anticipasse vices animis. Simulacra Deorum
 Omnia consument flamma & vis effera ferri,
 Mi popule, & precibus non deveneraberis ultra
 Quod damno ingeniosa tuo tibi dextera finxit.
 14 Nequitia nemora alta tua instrumenta bipenni
 Demolita trahenti ima ab radice ruinam;
 Excindamq; tuas irarum percitus aestro
 Ingenti trepidu direptas hostibus urbes;

Fulmi.

15 Fulmineiq; expers non gens erit ulla furoris
 Vitore in cunctos me, qui parere recusant.

CAPVT VI.

1 Quisquis eris, patulus jam nunc demitte per aures,
 Qua Dominus loquitur: Propero, legate, capeffas,
 Fac, mea iussa gradu: dic verba minantia celsis
 Montibus, atq; tua stupefacti fulmina vocis
 2 Accipiant colles. Vicinis adstata rupes
 Sideribus, medio tellusq; librata profundo,
 Audi, quid Dominus populis incogitet; illi
 Certè, inquam, at crno quem federe ab omnibus unum
 Legit, & eximio semper dignatus amore.
 Ingratos Dominus concastigabit Isaci
 Postgenitos, merit asq; adiget persolvere pœnas.
 3 Quid feci, populus mi? quidve odia aspera movit?
 4 Dic age. num vasros terre Memphitidis olim
 Vindicijis vicisse meis te pœnitet astus?
 Ac Pelusiaci rupisse ergastula regni?
 Numve parum est Mosen, Aaron, Mariamq; viarum
 Indeptasse duces, vitæq; exemplar agenda.
 5 Effluxisse animis aut credam oblita, Balaci
 Persidiam, Moabi qui res sceptrumq; gerebat,
 Atq; intentatas certo tibi crimine fraudes?
 Numve Peoriada Bileami oracula? totos
 Aut quadraginta tesquis stitientibus annos
 Quot te Iova bonis cumula verit inque merentem
 Ac prorit antem iustas sepe insuper iras?
 6 At verò quonam nobis libamine Numen
 Placandum est? sacris advolvatur cernuus aris,
 Instet amq; genu Domino, cœnacula mundi
 Qui suprema colit? vitulos faciamve, minaci

Anniculus

- Anniculus qui iam meditat ur praelia. corru?
Ibunt se in tenues holocausta soluta favillas?*
7. *O Amythaonio caput insanabile! Numen
Agnorum, censes, aut millia multa requirat?
Aut ingentem olei vim, qua velut agmine inundet
Torrenti, vivò constructa altaria saxò?*
*An, qui me pulcra primus ex matre parentem
Fecit, & eximium de multis igne furenti
Consumam natum, caput hoc mihi ut expiet, atrò
Crimine devinctum, vita & commissa prioris?*
8. *O dignum succis cerebrum purgantibus! Ecquid
Non rear auditum tibi, vel qua summa boni sit,
Vel quid deposcat Iova sibi fixa voluntas?
Officij exequitor partes; mortalia sacra
Diligitoq; hominum; turuidò neu lumina fastu
Ante Deum tollas; scelerum sed confraga vitans
Limite decurras rectò; & sine thure litabis.*
9. *Ecce! urbem Dominus duram increpitabit amaris
Vocibus: at nomen qui castò eunq; verentur
Pectore, Iova, tuum, securi sortis acerba
Aequora despicient vastis agitata procellis.*
10. *Accipite hos monitus, populi. Sed quid? Tamen omnia.
Hac Austris volitant levibus rapienda; malisq;
Artibus inventas, nemo est, qui reddere pressis
Curet opes, modium vel castigare minorem
Consuetò, penitis quod me sub sensibus angit.*
11. *Aut placido inspettare malas Ego lumine technas
Sustineam, iniustò cum defraudatis egenum
Pondere, nec trutinà merces appenditis equà?
Quis hei! nunc nimium multi ditescere quarunt*
12. *Fraudibus, & blandò verba ementita palato
Supplantant; viridi corda intus felle tumescunt.*

13. Hac

13. *Hac propter te dura pati, gens impia, certum est
Plurima, & in vitio quoniam scelerata triformis,
Vasticiem incultis patiar dominarier agris.*
14. *Dira fames inter posita convivia mensa
Crescet, & ingestus frustra lenibitur: Hostis
Cumq; manus suboles fugisse putabitur, hostem
Bis capta inveniet, tenerum qui cuspide pectus*
15. *Transadigat: Sata leta, boumq; hominumq; labores,
Ante oculos cernes equidem stare scere; curvâ
Sed qua falce metant alij: pubentis olivâ
Pressa tibi duris Sicjonia bacca trapetis
Sudabit succos pingues; sed tempora quis non
Vvescant: largòq; fluet vindemia Baccho;*
16. *Sed qui alienigenam tingat pallatia, Scabros
Namq; Amri sequitur mores, Athabiq; ruentis
In facinus caecam rabiem & iussa improba servas
Quilibet. Hoc iras mihi suscitât; una pericli
Hac est causa tui: muros hoc disijcit imis
Afundamentis: nec prater eunte popello
Sibila cum passim stridens risusq; petulci,
Atq; ignominia cum succidanea cives
Terga dabunt sancti catus, consistere contra
Aut permittet humi fixos attollere vultus.*

CAPVT VII.

1. *Me miserum! similis sum per vinea legenti
Post alios, reliquas serus vindemitor uvas
Quas fecit, vacuâ nequitquam aut arbore fructus
Querenti, quos jam prior abstulit. Alma reliquit
Has terras expulsa Fides, Astraq; celo
Se retulit fraudes hominum pertesa. Cruorem
Quisq; sitit: ponunt serui etiam retia, surtim*

C

Quis

5 Queis sese illaqueent, alternâ cade peremti:
Applauduntq; sibi, quoties malefacta recensent.
Principis ad nutus iudex componitur, & fas
Omne jubet, quicquid cerebri sub fornice coxit
Impuro ille sui, depactus mutua. Rerum
Quis curam voluit commissum aeterna potestas,
Consulere in mediis spernunt, quod profore credant:
Successu & caruit, quod consulere, figuras
In varias sese mutant, ac Protea fingunt.
4 At qui animum, recti ficta latitare sub umbra
Induxit, simulatq; bonum, magis ille tegendo
Nequitiam fraudesq; nocet, quam spinus acutis
Adsurgens folijs, aut senta cuspide vepres.
Ergo ubi se illa dies converso ostendet Olympo,
Plectere falsidicos quâ vindicis ira ministros
Iehova adveniet, scelerisq; coarguet orbem
Teq; simul, gelidus quatiet tremor ossa, nec ortus
Usquam erit, aut Phœbum hospitio qua terra cadentem
Excipit, aut calidi Solis nutricula, vel qua
Horriser ad siccas Aquilo se porrigit Arctos.
Nulla fuga ratio, nulla spes, omnia clausa.
5 Edico; sit nulli hominum te credere tanti,
Non malò uti caveas; quamvis se jactet amicum
Comiter: In tumidis etiam spes postea tyrannis
Frustratur falsos animi, qui lumine terram
Obstipò taciti figunt, celestium inanes:
Neve illi nimium fidas, qua nupta marito
Est deducta tibi: Genitoris filius annos
Contemnit, genitor Fili; natq; parentem
Oderunt natasq; parens, sua pignera; socrum
6 Invisam exagitat nuxus, & quos mensaq; junctos
Vna domusq; tenent, inter se praelia versant.

Ipsè

7 Ipse sed ad Dominum cæli terræq; potentem
Respiciam, fontemq; mea summamq; salutis
Expectabo Deum, nec spes eludet hiantem:
Namq; Deus placidas certò mihi commodat aures.
8 Ne nimium exulta, victrix Insania, iusto
Me quòd prouerit Dominus pede. Dextrâ levabis
Rursus humo, qua me stratam percellere visa est.
Et caligo suis quanquam irretiverit alis,
Iova meas niveâ perfundet luce tenebras.
Promerui, fateor: patiar, vincamq; ferendo,
9 Quod me cunq; iubet Divùm Pater atq; hominum Rex,
Ipse meam donec causam dijudicet æquus
Cognitor: inducem tunc me producer apricam,
Imitus ut latis trepident præcordia fibris;
Tot fati quoniam saluum devincere casus
Omnibus & docuit victorem excedere pugnis.
10 Lividulo cernent hostes hoc lumine, probri
Cum plenos subitus pudor obruet. Illudebant
Atqui jam pridem mihi: Quoniam lenta recessit
Numinis illa tui spes, quò te fidere dictum est?
11 Sed laus imperiumq; Deo, qui vindice dextrâ
Hosce oculos faciet pœnis gaudere malorum,
Comminuetq; suâ vi calcabitq; superbos,
Pulvis ut obteritur calidis astate plateis.
12 Tunc erit, ut surgant, Solyme, tua mœnia, & orbis
Audiat, extremum quem Sol despectat ab alto,
Omnipotentis Heri voces & jussa: vel Assur
Impius, & magnis habitata regibus urbes:
Urbes, quas restuis Pater undiq; circuit undis
Oceanus, primis ille & quâ Solis Eoi
Intepuit radiis, serò & quâ Sole resulget,
Se tibi submittent ultro propriasq; dicabunt.

Nem

- 13 *Nemo erit, has qui habitat praterquam bestia terras,
Peccata indigenum propter cultoris inanes.*
- 14 *Ipsè pedo sed pasce tuo tua pignera, gentem,
Obvenit qua sorte tibi, qua pingua servat
Pasqua, per nemorum viridantes gramine silvas,
Et per camporum declivia: Pastor amanos
In Basa saltus, Gileadi & pabula ducas*
- 15 *Hanc age, uti quondam. Rerum miracula, faxo,
Tunc videant, ipsis maiora ut testibus olim
Patribus haud fuerint Pharijs patrata sub oris,
Cum patrias captiva Sion remeavit ad urbes.*
- 16 *Attoniti adspicient populi, digitoq; labellum
Compescant, populis, qui dicunt jura, Tyranni.
Infamem pudor ore notam cum ducet, & aspri
Implacidam duris renuent monitoribus aurem*
- 17 *Præbere. At tanquam sinuosis flexibus angvis,
Mordebunt putres inhonesto corpore arenas
Adfixi, tremefacta ingens & pectora terror
Concutiet, gravium veluti spelæa Draconum
Motu exhorrescunt crepero; nostrumq; Iehovam
Suspicient humiles, demisso & corde timebunt*
- 18 *Tene aliud præter Numen sit, Iova, quod ultrò
Crimina condonet, noxasq; remittat amicum
Iis, sibi quos proprios voluit de gentibus; iras
Nec sempiternum foreat? Nam pectora fulcie
Huic amor, & miseris succurrere blanda voluntas.
Adficiat pœnis meritosq; ut fortè, misertus
Ilicet ex oculis nostros tamen Ille reatus:
Auferet, & medijs abolebit Terhyos undis.*
- 20 *Polliciti servare fidem, Pater optime, nobis
Es memor, Isacida quod Thariadiq; dedisti
Iuratus: nec enim mutant tibi sæcula mentem.*

AD

AD IOHANNEM ZINDLERVM,
Iuvenem doctis.

ITALO-GALLVS erat sub avorum tempora
Cæsar:
DOCTI idem CÆSAR, Censor & ORBIS erat.
Ore Poëtarum potius sacrosancta Prophetas
Quam sermone suo noluit ausa loqui.
Si te legisset, ZINDLERE, tuumq; MICHEAM,
Iudicij fuerat mitior iste calor.

Frid. Taubmanus,
Poeta & Professor VViteb.

ALIVD.

SI decus è falsis aliquod, nomenq; tulerunt,
Qui IOVIA Sprisca res cecinere tuba,
Quiq; novos fœtus, & formidata colonis
Arva suis tragico detonnere sono;
Aut magis ornarunt opulenti munere verbi
Bella Gigantea cum Iove gesta manu:
Quanto maior ab his cedit tibi gloria captis,
ZINDLERE Aonia purus amor scatebra,
Cum das divinis solum tua pectora rebus,
Subreptusq; Deo sensus in alta migrat,
Major & affulget cælo lux intus aperto,
Quæ cor fecundum flammæ amore Dei?
Non hæc Cyrrha tibi, non hæc tibi dictat Apollo,
Ingenium tantum nulla Thalia facit.
Hæc fuerit vatium Romano nenia sæclo,
Lascivi juvenum lusus & iste gregis.

C 3

At

At tibi Christiano tacito per operta meatu
 Spiritus, & latis influit aura fibris.
 Hic tu i mellito facundat viscera flatu,
 Solvit & in sanctos fatidica ora modos.
 Hic tibi Micheam Maresa enodat alumnus,
 Ut liget in certos Musa coacta pedes,
 Grandiaq; è sacris jaculetur fulmina libris
 Terreat & populos voce minace reos.
 His precor his potius studiumq; operamq; legendis
 Devove, & Aonium coge subire jugum
 Dicta vel acta Deo, quæ sancta volumina pandunt,
 Nec maior teneri sint tua cura elegi.
 Nec tibi lascivos in carmine dicter amores
 Naso, aut Romani Cynthia Callimachi;
 Non Nemesis: abeat solitis impensa facultas
 Carminibus: parvum ludicra ficta decent.
 Tunc te divinum vere memorabo poetam,
 Miraborq; tua mentis adactus opes.
 Nil magis exhaurit nervos animumq; poeta,
 Quam sacra qua Latia sunt faciendâ togâ.
 Hinc tibi laus maior, quo rarior auctor habetur,
 Scripserit exemplo qui sacra gesta tuo.
 Non tibi victrices, quascunq; labore parasti,
 Eludet palmas invida fama tuas.
 Florebunt, capitiq; tuo, sic auguror, olim
 Inserpet viridi laurus amœna satû.
 Illâ dignior es præ me, multisq; poetis,
 Quos non tam blando lumine Musa videt.
 Interea versu calefacta fideliter usq;
 Orbita doctarum ferveat Aonidum.



Sic

Sic te honor inveniet, si forte obscurus haberis.
 Non poterit felix Musa latere diu.

Tuus I. Zeznerus M. & P. L.

ALIVD.

THEologum exemplar quondam, GESNERE,
 bonorum,
 Nunc mihi cum luctu tertius annus abit,
 Cum te MICHEAM liquidantem audire licebar,
 Atq; tuâ ambrosiâ pascere mentem animi;
 Participans tecum ZINDLERVS Slesidos
 oras,
 MICHEAM in Latiû transdidit ecce melos,
 Sicq; pias doctô demulcet carmine mentes,
 Ut cui plus dandum, dicere non habeam.

Vitus Sebaldi Heilsbron.

Fr. P. L.



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.





